

V. D. M. J. Æ.

In

SeCVnDo LVtheranorVM IobeLao

Quidam

GYMNASII BVDISSINENSIS

Cives

ob Ecclesiam

Ducentis abhinc annis

DEO AVSPICE

&

B. MARTINO LVTHERO,

Ministro

a

Naevis suis

in

Pristinum nitorem

vindicatam

ORATIONES SAECVLARES

ad d. III. Novembr. hor. IX.

sunt habituri

Qvas ut per benigne audire velint

MAGNIFICI REI SCHOLASTICAE CVRATORES,

ceterique Musarum Patroni & Fautores

demissè rogat

&

Auspicandi ergo

LVDOVICI XII. GALLIAR. REG.

Numum aureum, cujus est inscriptio:

PERDAM BABILLONIS NOMEN

strictim interpretatus

contra

JO. HARDVINVM è Societat. Jes. Presbyterum

vindicat

M. Georg. Ehrenfried Behnauer /

Gymnaf. Budiss. Sub-Rect.

Budissæ, Literis Richterianis.



QUOD OMNIBVS ATQVE SINGVLIS TOTIQVE REPV-
 blicae Christianae feliciter evenire jubeat DEUS! GLORIA
 NOVI SAECVLLI illuxit, non, quam ex Numo GRATIANI
 cana olim tradidit antiquitas, de qua *dans les memoires pour
 l'histoire, de science T. I. p. 74. seqq. edit. Amstelod.* apud illustrem Leibni-
 zium *in év. aryon ad duos GRATIANI Num. Wolterekium in lectis rei
 numariae pag. 308. 327. Hamburg. 1709. 4.* & ipsum Harduinum *in Operibus
 Selectis edit. Amstel. pag. 502. seqq.* liberius agitur, sed ea, quam ob repurga-
 tam ab inquinamentis suis Ecclesiam perennaturis tabulis ad futuri quo-
 que temporis memoriam transmittendam esse, arbitramur. Quod si etiam
 vetustum Orbis domicilium Roma, non parum tibi gloriae olim & felici-
 tatis affecuta videbatur, quoties post exactos centum annos OB CIVI-
 TATIS BONUM, sua in Campo Martio celebrabat Saecularia, quae
 praeter ZOSIMUM è recentioribus desoripserunt JOSEPHUS SCALI-
 GER, ONUPHRIUS PANVINIUS, PETRUS TAFFINUS, EZE-
 CHIEL SPANHEMIUS, JOANNES CIAMPINUS, JUSTUS RYCOVI
 US, ANGELUS POLITIANUS, CAROLUS SIGONIUS, JACOBUS
 STRADA, nos profecto, qui ludos Romanorum illudimus, desipimus
 & averfamur, OB SERVATAM RELIGIONI INTEGRITATEM novi
 potius temporis gloriam, avita & a majoribus nostris tradita caerimonia
 recolimus. Haec enim vera felicitas, qua divinis auspiciis excitus LV-
 THERUS, ducentis abhinc annis, non novam fidem instituit, sed anti-
 quissimam asserendo, faciem Ecclesiae deturpata, a maculis suis eluit, mul-
 to prius quam illuxit adeo votis fuit expetita, ut vel ipsi Reges Principes-
 que repurgandae Ecclesiae opus molirentur. Huc omnino facit Ludovi-
 ci XII. Galliarum Regis numus aureus, quem veluti publicum aliquod
 hujus rei monumentum strictim jam & interpretari & vindicare animus
 est. Exhibet vero iste antica caput Regis, corona e Liliis Francis redi-
 mitur, cum hac inscriptione: LUDO. FRAN. REGNIQ. NEAP. R.
 Postea autem Regni Galliae insignia refert (non Neapolitani aut Siciliae,
 quae aliorum est opinio, v. D. A. Rechenberg Lib. Memor. Hist. p. 167.)
 corona iridem ornata, & pro more illius aevi aperta, cum Lemmate:
 PERDAM BABILLONIS NOMEN. Quae verba ex Es XIV. v. 22. de-
 sumta crucis signum habent praefixum, id quod vel ideo additum esse credo,
 ut spatium, quod inter finem inscriptionis ejusque initium intercedit
 eo facilius possit dignosci. Sicuti vero numus alienati Regis animi & a
 curia Romana & ab ejusdem sacris, quod infra docebimus, interpres
 est: ita ipsius adhuc exemplar Parisiis in Gaza regia adervatur, ex qua
 eundem elegantissimum Le Blanc *dans sa Traite historique des monnoies de
 France, depuis le commencement de la Monarchie jusques a present, sur P. im-
 primé a Paris a Anst. 1692. 4.* post PETAVIUM Senatorem Parisinum,
 qui primus ejus iconem dedit, una cum aliis & descripsit & exhibuit. Su-
 perbit eadem etiam moneta instructissimum Cimeliartheum illustrissimi
 FOUCAULTII, quod recentissime modo serenissimus Dux atque Prin-
 ceps Gvelperbytanus, pro suo, quo est in bonas artes propensissimo
 animo coemum, ab inauspicata distractione vindicavit, & in usum tam
 praesentis quam futuri aevi sancte adservari voluit. Hoc exemplo usus est
 supra jam nominatus Ordinis genari ni Sacerdos, Joh. Harduinus, qui &
 numus aeri curavit incidi / c. f. 90r. quam effigiem una cum Blanci repe-
 titam nuperrime dedit, VIR summe reverendus D. Salomon Deylingius
in Observant. Sacris Part. III. T. IV. Neque praetermitti hic debet splen-
 di-

didissimum Numophylacium Schwarzburgicum, quod Arnstadii habetur. Ex hoc olim Junkero numi facta hujus est copia opera atque studio Celeberrimi, Polyhistoris M. Jo. Christoph. Clearii, quippe cujus effigies, in *denk Guldencn und Silbrenen Ehren-Gedächtnis* D. Mart. Lutheri p. 30. conspicitur. Enimvero quid publico hoc documento sibi voluerit Ludovicus, ex illorum temporum historia, in quae aetas ipsius incidit per sane facile dispalescit. Pontifex tum erat Julius II. ad rem bellicam administrandam quam ad functionem Sacerdotalem obeundam attentior, uti Petrus Svaiv. Polanus S. Paulus Sarpius Venerus loquitur, in *Hist. Concil. Trident. L. 1. p. 4.* Julius, inquam, qui abjecta clave Petrina in Tyberim Pauli gladio unice delectabatur, id quod testatur *Gilbertus Ducherius Epigr. apud Hottingerum.* Hic Pontificatum suum erga Principes & Cardinales sic satis pro imperio gerebat, ut nonnullos horum ad secessionem & Concilium indicendum adegerit, quibus Ludovicus XII. ab eodem Pontifice extra Ecclesiam communionem temere ejectus, sese jungebat, quippe qui, de emendando Ecclesiae statu Mediolani primum concione celebrata, post Pisis Anno 1511. Concilium indixit ad reformandam Ecclesiam in capite & membris vid. Thuan. *L. 1. p. 7.* Quae ipsa collisio acerrimo reformationis censori Jesuitae & postea Cardinali Sfortiae Pallavicino animum dedit ut *Historiam suam Concilii Tridentini, Petro Svaivi Polano oppositam* ab ejus narratione exordiat. Neque dubium est eorundem temporum reformationae Ecclesiae initium fuisse factum, nisi partim Julii morte partim Leonis dolo ea spes fuisset intercepta. Quod quam parum nonnullis fuerit gratum, inter omnes fere constat. *Haec est illa eximia,* inquit Gallus Pontificus Edmundus Richerius in *Hist. hujus Concil. L. IV. c. IV. tan- tope re Christianis nationibus ducentis abhinc annis exoptata reformatio, vel ut verius dicam, abusum Curiae Romanae in crustatio atque involutio* vid. Frid. Spanhem. *Opp. T. I. pag. 1898.* Haec itaque omnia si curatori mentis inductione penitamus, non potest non esse longe certissimum, Ludovicum hoc memorabili numo aureo ipsum veluti reformationis Opus indixisse, seque urbem Romam delerurum, deque Pontifice Poenas esse sumpturum gravissimas fuisse comminatum. Atque in hunc sensum Viri eruditissimi Numum sunt interpretati, & vel ipsi quoque Pontificii. Testis esse potest veritatis imprimis amantissimus Thuanus qui *l. c.* ita de Ludovico XII. inquit: *Inanes Julii II. diras contraria obviunciatione generose revocavit, cuius etiam aureo numo, qui titulus Regis Franciae regnique Neapolitani cum effigie sua ex una parte, & insignia Franciae ex altera referebat, cum hoc elogio: PERDAM BABYLONIS NOMEN.* Ad eandem Thuanii mentem non numum modo explicat LeBlanc. *l. c.* Sed addit etiam p. 26. Julium II. P. R. capta Bononia numos aureos procudisse sic inscriptos: BONONIAM PAPA JULIUS A TYRANNO LIBERAT. Pergit praeterea in Diario Vitae hujus Papae a se esse lectum, quod reduci, Romae arcus triumphalis fuerit dedicatus, hac inscriptione insignis: JULIO II. PONT. OPT. MAX. REDUCI QVOD VIRTUTE, CONSILIO FELICITER REM PONTIFICIAM A TYRANNORUM SERVITUTE LIBERAVIT PACEMQUE LIBERTATEMQUE UBIQUE CONSTITUIT, quibus etiam rebus non parum Regem permotum fuisse scribit, ut numum sic inscriptum procudendum curaret: PERDAM BABYLONIS NOMEN. Digna etiam memoria sunt quae Mr. du Pin in *Bibl. Sacra S. XIII.* refert. Cum enim illic hujus numi fecisset mentionem, simul adjicit; Episcopos totumque sacrorum hominum Ordinem in Conventu Turonensi Regi Ludovico extitisse auctores, ut Pontifici Tyranno omne renunciaret obse-

quen-

qvendi officium, ferro & igne ipsum persecutus. Tace ea quae apud
 Arnoldum Ferronium in *Histor. Ludov. VII. Gvilichti. Bud. L. de Affe* hos-
 que hanc in rem leguntur. Neque praeterea hic numus solum est & unicum
 animi Ludovici a Pontifice averi indicium. Meminit enim elegantissimus
 inqve re numaria verfatissimus VIR Jo. Gröningius in *Histor. sua Nu-*
misimatico Critica. I. Neueröffneten Historie der Modernen Medaillen quae
 adjuncta conspiciunt *Dem Neueröffneten Ritter Plaze Hamburg. 1715. 12.*
p. 39. meminit, inquam, cujusdam monetae argenteae, ab eodem Rege
 profectae cum Epigraphe: LUDOVICUS DEI GRATIA REX FRAN-
 CIAE DUX MEDIOLANI ex cujus altera parte leguntur verba: PER-
 DAM BABYLONEM. Habuit olim, Dreidensium Decus Löscherus
 qvandam dissertationem Vittembergae *de usurci numariae in Historia Eccle-*
siaistica, in cujus C II. §. 10. citante B. Junkero *l. c. p. 31.* alteram hujus mone-
 tae par em paulo plenius descripturus, urbis speciem eam exhibere affir-
 mat, cum gladio, e nubibus minantis instar povercto, addito eodem lem-
 mate: PERDAM BABYLONEM. Qvam in rem adducit Heideggeri
Myster, Babyl. p. 818. nec non Wolfii *Leß. memorabil. f. 801.* qvamvis in his
 posterioribus, nequid disimulem, ego qvidem frustra id qvaeiverim.
 Haec vero omnia liberius a me disputata, uti ad muniendam nostram senten-
 tiam non parum faciunt: ita supra dictus Jo. Harduinus & Societ. Jes. Pres-
 byter, nova plane & antea inaudita ratione, hunc, de quo egimus Ludov-
 vici XII, numum interpretatur. Opera enim ejus, qvorum jam aliquoti-
 es mentio facta est, Selecta, prodierunt *Amstelodami ap. JOH. LUDOV. de*
Lorme f. 1709. sed tam paradoxis opinationibus referta, ut vel eruditissi-
 mi quique Viri Jo. Clericus, Jacob. Bafsiagijs, Consius, Bernardus L'Ami
Crozeus, Valliantius, Kochius, & alii plures contra hunc Harduini foetum,
 qvem ipse qvidem Parens tollere noluit, calamum suum frinxerint. Nos
 illius modo nunc memores erimus dissertationis, qvam *sub finem Opp.*
f. 907. ad hunc Num. Ludov. XII. conscripfit. In hac enim ad Cairum de-
 lendam numum debere referri existimat. Sed quis non veritati vim infer-
 ri videt? Qvamvis enim sint, qui Cairum, urbem in Aegypto & Suldano-
 rum sedem, cujus subinde meminit Texeira, Leo Africanus, Montconis
Theven. Sanson, duVal. & alii, veterem Babyloniam fuisse autment, du-
 dum tamen sui erroris sunt convicti, cum adhuc hodie urbis Babyloniae
 rudera procul ista Urbe conspiciantur. Et certe scire vellem quodnam
 adducturus sit unquam sive Historiarum monumentum, sive numum, si-
 ve alium qvendam antiquitatis testem unde Cairum olim BABYLONEM
 adpellatam fuisse constet. Qvae tandem heic Ca-ri sive mentio est sive sus-
 picio? Certe urbis hujus expugnandae consilium in mentem venisse Ludo-
 vico, neque Ferronius neque Varilas neque Godefroi, Saint Gelais, neque
 alius Vitae ipsius scriptor unquam nos docuit. Unde itaque talia poterat
 suspicari Jesuita? Contra vero ea, Romam omni lere tempore BABY-
 LONIAM fuisse dictam, uberrime indubiisque rerum testimoniiis proba-
 tum ivit Wolfius in *Leßion. Memorab. T. II. p. 41. 45. 1344. seqq.* Idem de
 ipsa Ecclesia Romana, post alios longe plurimos nuperrime saltem adfirma-
 vit Eruditiss. Deylingius *l. c. p. 399.* ex Hieronymi Epistola ad Marcell. ex li-
 teris, quas Antistites Dioeces. Leodiniens. ad Paschal. II. conscripserunt, ex
 Petri Blesens. Ep. XLIV. aliisque suo asserto fidem faciens. Addo, ut ce-
 tera silentio premam, elegantissimum sermonem, Henrici Kaltisteni,
 quem ex MSS. Gvelfpherbytan. erutum typis exscribendum curavit Herr-
 mannus van der Hardt, in *recentissimo Opere, quod Historiam literariam Re-*
 for.

formationis in honorem Jubilei inscripsit Francof. & Lips 1717. in fol. P. III. p.
 38. Sed audiamus quae amplius excipiat Harduinus. Numus, inquit, anno
 jam 1501, quo Neapolis Ludovicus occupavit, aut certe sequente anno, no-
 no ante Regis cum Pontifice simularem, cuius est, quia post ea tempora
 Regem Neapolis Ludovicus se non appellavit. Enim vero THUANUM i-
 pli opponimus, cuius auctoritas Harduino longe major. Probet
 ipse Jesuita, quae fingit, sin minus eadem facilitate rejici-
 untur omnia atque fuerunt prolata. Quid si cum elegantissimo Jo. Gröningio
l. c. p. 150. hanc monetam post proelium ad Ravennam factum Anno 1511,
 cuiusam esse dicerem, quoniam argumento me convelleret? Pone tandem prius esse
 signatam, quid inde? Sunt in rebus futurorum eventum quaedam praeludia,
 neque inde quaequam potest dispalescere aliud, quam haec reformationis omni-
 na aliquot annos evenisse prius, quam vulgo creditur. Sed post ea tempora,
 instar Jesuita, Regem Neapolis se non appellavit Ludovicus. Iterum dicit
 quod non probat Romanae Curiae Praefatus. An Reges jura & titulos in o-
 pima regna tam cito omittunt & negligunt? Non tamen legitur BABYLO-
 NIS, sed BABILLONIS nomen. Possim hic ad supra adductum Le Blanc
 provocare, qui BABILLONIS legit. Sed dabimus hoc Harduino, quid inde
 roboris accedet ipsius sententiae? Non adeo Saeculum tum erudirum erat, ut
 Babylonem & Babillonem recte dignosceret. Quam praeterea facile artifex
 utrumque poterat confundere. Forte etiam si originem inspexerit, ratio
 ipsa suaverit posterius rectius scribi quam prius. Verbo: Babillonem hic
 ratio ipsa suaverit posterius rectius scribi quam prius. Verbo: Babillonem hic
 idem esse atque Babylonem inficias ire ausus est nemo, quamvis paulo aliter
 fuerit inscriptum. At enim vero, quam injuriosum est, inquit Harduinus, ac
 ignominiosum Regi adeo animatum fuisse in sedem Apostolicam. Respon-
 demus; Non sibi religioni duxisse Galliarum Reges Papam extra oleas; va-
 gantem redigere in ordinem, duriterque eum subinde habere, vel sola *Con-*
stantiensis Concilii ACTA docent, quae *Herrmannus van der Hardt VI. Tomis*
comprehensa ex antiquissimis fideque dignissimis MSS, eruta recensuit *Helm-*
stad 1700. fol. Quanta isto in Concilio *napolitana Anno 1417. d. 6. Febr.* suum de
 Ecclesiae Praefate sermonem Pontificis auctoritati plane inimicum,
 pronuntiavit Orator & Legatus Regis Galliae *Jo. GERSON!* quam Ora-
 tionem ex Codice MSS. Caesareo Vindobonensi & duobus *Helmstad.* idem
 Excellentissimus Vir *Herrman. van der Hardt* publici juris fecit. Reperat in-
 super modo secum Harduinus amarulentas propemodum lites, quae ultra V.
 saecula Regis Galliae inter & Papam ob JUS REGALIAE fuerunt con-
 flatae, ut & nostra aetate latius flammam quam unquam fundere coeperint.
 Consideret a Ludovico IX. Anno 1267. contra Pontificis cristas nimium tol-
 lentis superbiam constitutas leges. Videat quae Philippus Audax Bonifa-
 cio LIX. homagium ab ipso poscenti responsi loco reposuerit. Nolim praeter-
 mitrat quae Saeculo XV. in Concil. Basileensi Anno 1431. annisque subse-
 cutis contra Papam fuere disputata. Quid? ipsum modo Carol. VII. Regem
 Galliae contueatur, qui Anno 1438. SANCTIONEM PRAGMATICAM in
 summum profecto Pontificis dedecus publica lege sanxit. Quae, ut ut a Fran-
 cisco I. Miolani consequendi cupidissimo Anno 1516. abrogaretur, novos ta-
 men Henric. IV. anno 1608. in Papam imperus fecit, usque dum tandem Lu-
 dovicus XIV. omnem propemodum ipsius auctoritatem labefactaret, non
 alibi ipsi obscurus, quam quando e re sua fore intelligebat. Haec & alia si
 memoria repetere voluerit Harduinus, mirari forsitan desinet, quod si & Lu-
 dovicum cum Jul. II. paulo durius egisse intellexerit. Certe si vel si ve-
 nolit fateatur Jesuita necesse est, aureum hunc Numum, aureum aliquo pu-

FK Tm 1142

X 333.1109

blicumve extitisse monumentum, LUDOVICUM XII. jam ante Reformationem saluberrima reformandae tam Curiae Romanae quam Ecclesiae cepisse consilia. Sed alium longe arduo huic operi perficiendo destinaverat DEUS, quem non Majestatis splendor, non opum virumque tuebatur magnitudo, sed Numinis sola voluntas. Armaverat enim Ter sancta Trias Magnum HEROA LUTHERUM, qui, quamvis rem esset aggressus, omnibus hominum viribus longe majorem, adeo tamen feliciter inde eluctabatur, ut purioris fidei Assertor antiquam ejus integritatem, veluti postliminio restitueret. Quod sicuti ducentis abhinc annis factum esse non sine laetitia sensu recordamur: ita tanti beneficii memores Secundum Ecclesiae nostrae Jobelaum inter faustas voces & acclamationes concelebramus. Facessat hinc inauspicatus Propheta LAURENTIUS BAYERLINGIUS, qui in *Theatro vitae humanae Lit. I fol. 392*, occasione monetae (Jobeleae 1617. curae, quae ex altera parte Cygnum, in arundine natantem, cum Lemmate refert: Martin Vs LVther Vs theol. Loglae D. ita vaticinatur: *Es ist in den Worten Martinus Lutherus Theologiae D. das C. oder die Zahl hundert aufsen gelassen worden / dadurch prophetischer Weise angedeutet wird / es werde kein Lutherisches Jubel-Fest mehr statt finden / als welches auch in dem folgenden Saeculo nicht bestehen wird &c.* Facessat inquam & abeat cum suis nugis. Nos rem contra quam praedixerat nunc cecidisse non impense modo laetamur, sed per vulnera etiam Jesu Christi Ecclesiam DEO commendantes, demissas ipsi pro beneficiis persolvere gratias nunquam cessabimus. Qua pia in DEUM mente cum & nostrae disciplinae Alumnii esse deprehendantur, quidam eorum, Reformationis memoriam repetituri, ORATIONES SAECULARES in Publica magnorum virorum Panegyri divina gratia adjuti, hoc ordine habere constiterunt.

Petrus Kern, *Nadelw. Lusar.* Carmen Saeculare decantaturus latinum, simul ea, quae decet observantia, Patronorum in audiendo gratiam aucupabitur.

Postea

REFORMATIONEM

- Ob publicas Ecclesie corruptelas summe olim necessariam, Oratione latina sistet Jo. Christoph Kloz, Aesticampianus.*
 - A Regibus & Principibus expetitam, interpretabitur Oratione Teutonica Jo. Christian Rachlitz, Budissinus.*
 - Ab ipsis Pontificibus partim tentatam partim simulatam, explicabit Oratione Graeca Sigemund Friedrich Müller / Zickov. Lusar.*
 - A LUTHERO misero Monacho, sed imperterrito Veritatis assertore intrepide susceptam, mirabitur Inscriptione Latina Jo. Erdmann Petrinus. Lub. Lusar.*
 - aud. 1770. 1771. Literarum adiutam persequetur Oratione Germanica Jo. Christian Haberland Budissinus.*
 - Sola Providentia divina suffulsa exponet Carmine Germanico Carl Gottlieb Behrnauer / Budiss. Lusar.*
 - A falsis factisque adversariorum criminationibus malevole conspurcatam vindicabit Michael Haeger, Senfftenberg. Mistr.*
 - Epilogi munere fungetur Martheus Stollze Bischoffs verda. us & DEO & Auditoribus gratias acturus CARMINE GRAECO.*
- Ag te itaque o! Patroni gravissimi! Fautores atque Amici dulcissimi, agite hoc saeculari Festo, quod neque vidimus antea, neque visuri post hac erimus, nostram quoque hanc Aerafin, exoptatissima vestra exornate frequentia. Quod uti Vos facturos esse confidimus: ira amplius addimus nihil quam antiquum illud & in saeculari olim Romanorum celebratae
solemne: FELICITER!

no.

V. D. M. J. Æ.
In
SeCVnDo LVtheranorVM IobeLaeo
Quidam
GYMNASII BVDISSINENSIS
Cives
ob Ecclesiam
Ducentis abhinc annis
DEO AVSPICE

B. MARTINO LVTHERO,
Ministro

a
Naevis suis
in

Pristinum nitorem
vindicatam
ONES SAECVLARES

d. III. Novembr. hor. IX.
sunt habituri

ut per benigne audire velint
I SCHOLASTICAE CVRATORES,
Musarum Patroni & Fautores
demisse rogar

&
Auspicandi ergo
VICI XII. GALLIAR. REG.
aureum, cujus est inscriptio:
M BABILLONIS NOMEN
strictim interpretatus
contra

INVM è Societat. Jef. Presbyterum
vindicat

g. Ehrenfried Behnauer/
ymnas. Budiss. Sub-Rect.

diffusæ, Literis Richterianis.

